

« retulerit, accipite. » Proficit hæc <sup>1</sup> aliquantulum exornatio ad duas res : nam et quid dixerit commonet, et ad reliquum comparat auditorem.

Correctio est, quæ tollit id, quod dictum est, et pro eo id, quod magis idoneum videtur, reponit, hoc pacto : « Quod si iste suos hospites rogasset, imo innuisset modo; hoc facile perfici posset. » Item, « Nam postquam isti vicerunt, atque adeo victi sunt : eam quomodo victoriam appellem, quæ victoribus plus calamitatis, quam boni, dederit? — O virtutis comes invidia, quæ bonos insequeris plerumque, atque adeo insectaris ! » Commovetur hoc genere animus auditoris. Res enim communi verbo elata, tantummodo dicta videtur : ast ea, post ipsius oratoris correctionem, magis idonea fit pronuntiatione. Non igitur satius esset, diceret aliquis, ab initio, præsertim quum scribas, ad optimum et electissimum verbum devenire? Est, quum non est satius, si commutatio verbi id erit demonstratura, ejusmodi rem esse, ut, quum eam communi verbo appellaris, levius dixisse videaris; quum ad electius verbum accedas, insigniorem rem facias. Quod si continuo venisses ad id verbum, nec rei, nec verbi gratia animadversa esset.

<sup>1</sup> Aliquantum.

XXVII. <sup>1</sup> Occupatio est, quum dicimus, nos præterire, aut non scire, aut nolle dicere id, quod tunc maxime diximus, hoc modo : « Nam de pueritia quidem tua, quam tu omni intemperantiæ addixisti, dicerem, si hoc tempus idoneum putarem : nunc consulto relinquo. Et illud prætereo, quod te tribuni rei militaris infrequentem tradiderunt : deinde quod injuriarum satisfecisti L. Labeoni, nihil ad rem pertinere puto. Horum nihil dico : revertor ad illud, de quo iudicium est. » Item, « Non dico te ab sociis pecunias accepisse, non sum in eo occupatus, quod civitates, regna, domos omnium depeculatus es : furta, rapinas tuas omnes omitto. » Hæc utilis est exornatio, si aut rem, quam non pertinet aliis ostendere, occulte admonuisse prodest, aut si longum est, aut ignobile, aut planum non potest fieri, aut facile potest reprehendi; ut utilis sit occulte fecisse suspicionem, quam hujusmodi intendisse orationem, quæ redarguatur.

Disjunctio est, quum eorum, de quibus dicimus, aut utrumque, aut unumquodque certo concluditur verbo, sic : « Populus romanus Numantiam delevit, Carthaginem sustulit, Corinthum disjecit, Fregellas evertit. Nihil Numantinis vi-

<sup>1</sup> Spalding ad Quintil., IX, 3: Occultatio.

« res corporis auxiliatæ sunt; nihil Carthaginien-  
 « sibus scientia rei militaris adjumento fuit; nihil  
 « Corinthiis erudita calliditas præsidii tulit; nihil  
 « Fregellanis morum et sermonis societas opitu-  
 « lata est. » Item, « Formæ dignitas aut morbo de-  
 « florescit, aut vetustate exstinguitur. » Hic utrum-  
 que, et in superiore exemplo unamquamque rem  
 certo verbo concludi videmus.

Conjunctio est, quum interpositione verbi et  
 superiores orationis partes comprehenduntur, et  
 inferiores, hoc modo: « Formæ dignitas aut mor-  
 « bo deflorescit, aut vetustate. »

Adjunctio est, quum verbum, quo res compre-  
 henditur, non interponimus, sed aut primum, aut  
 postremum collocamus. Primum, hoc pacto: « De-  
 « florescit formæ dignitas aut morbo, aut vetus-  
 « tate. » Postremum sic: « Aut morbo, aut vetus-  
 « tate formæ dignitas deflorescit. » Ad festivitatem  
 disjunctio est apposita; quare rarius utemur ea,  
 ne satietatem pariat: ad brevitatem conjunctio;  
 quare sæpius adhibenda est. Hæ tres exornationes  
 de simplici genere manant.

XXVIII. Conduplicatio est, cum ratione ampli-  
 ficationis, aut commiserationis, ejusdem unius,  
 aut plurium verborum iteratio, hoc modo: « <sup>1</sup> Tu-

<sup>1</sup> *Vulgo*, Tumultus C. Gracchi tumultus... comparat.

« multus Gracchi, Gracchi tumultus domesticos et  
 « intestinos comparant. » Item, « Commotus non  
 « es, quum tibi mater pedes amplexaretur, non es  
 « commotus? » Item, « Nunc etiam audes in horum  
 « conspectum venire, proditor patriæ, proditor,  
 « inquam, patriæ, venire audes in horum con-  
 « spectum? » Vehementer auditorem commovet  
 ejusdem redintegratio verbi, et vulnus majus ef-  
 ficat in contrario causæ; quasi aliquod telum sæ-  
 pius perveniat in eandem partem corporis. Inter-  
 pretatio est, quæ non iterans idem redintegrat  
 verbum, sed id commutat, quod positum est, alio  
 verbo, quod idem valeat, hoc modo: « Rempu-  
 « blicam radicitus evertisti, civitatem funditus  
 « dejecisti. » Item, « Patrem nefarie verberasti,  
 « parenti manus scelerate intulisti. » Necessè est  
 ejus, qui audit, animum commoveri, quum gra-  
 vitas prioris dicti renovatur interpretatione verbo-  
 rum.

Commutatio est, quum duæ sententiæ inter se  
 discrepantes ex transjectione ita efferuntur, ut a  
 priore posterior, contraria priori, profisciscatur,  
 hoc modo: « Esse oportet, ut vivas; non vivere,  
 « ut edas. » Item, Ea re poemata non facio, quia,  
 « cujusmodi volo, non possum; cujusmodi pos-  
 « sum, nolo. » Item, « Quæ de illo dicuntur, dici  
 « non possunt; quæ dici possunt, non dicuntur. »



Item, « Si poëma loquens pictura est; pictura  
« tacitum poëma debet esse. » Item, « Quia stultus  
« es, ea re taces; non tamen, quia taces, ea re  
« stultus es. » Non potest dici, quam commode  
fiat, quum contrariæ sententiæ translatione verba  
quoque convertantur. Plura subjecimus exempla,  
ut, quoniam difficile est hoc genus exornationis  
inveniri, dilucidum esset, ut, quum bene esset  
intellectum, facilius in dicendo inveniretur.

XXIX. Permissio est, quum ostendimus in di-  
cendo, nos aliquam rem totam tradere et conce-  
dere alicujus voluntati, sic: « Quoniam omnibus  
« rebus ereptis, <sup>1</sup> solus superest animus et corpus,  
« hæc ipsa, quæ mihi de multis sola relicta sunt,  
« vobis et vestræ condono potestati. Vos me, quo  
« pacto vobis videbitur, utamini, atque abutimini  
« licebit impune: in me, quidquid libet, statuite:  
« dicite, atque obtemperabo. » Hoc genus tametsi  
alias quoque nonnunquam tractandum est, tamen  
ad misericordiam commovendam vehementissime  
est accommodatum.

Dubitatio est, quum querere videtur orator,  
utrum de duobus potius, aut quid de pluribus  
potissimum dicat, hoc modo: « Obfuit eo tem-  
« pore plurimum reipublicæ consulum sive stulti-

<sup>1</sup> Abest solus.

« tiam, sive malitiam dicere oportet, sive utrum-  
« que. » Item, « Tu istud ausus es dicere, homo  
« omnium mortalium...? <sup>1</sup> nam quo te, digno mo-  
« ribus tuis, appellem nomine? »

Expediitio est, quum, rationibus compluribus  
enumeratis, quibus aliqua res aut fieri aut non  
fieri potuerit, ceteræ tolluntur, una relinquuntur,  
quam nos intendimus, hoc modo: « Necesse est,  
« quum constet istum <sup>2</sup> fundum nostrum fuisse,  
« ostendas, te aut vacuum possedisse, aut usu  
« tuum fecisse, aut emisse, aut hereditate tibi  
« venisse. Vacuum, quum ego adessem, posside-  
« re non potuisti: tuum usu fecisse etiamnum  
« non potes: emitio nulla profertur: hereditate  
« tibi, me vivo, mea pecunia venire non potuit.  
« Relinquuntur ergo, ut me vi de meo fundo deje-  
« ceris. » Hæc exornatio plurimum juvabit con-  
jecturales argumentationes; sed non erit, tanquam  
in plerisque, ut, quum velimus, ea possimus uti:  
nam facere id non poterimus, nisi nobis ipsa ne-  
gotii natura dabit facultatem.

XXX. Dissolutio est, quæ, conjunctionibus ver-  
borum e medio sublatis, partibus separatis effertur,  
hoc modo: « Gere morem parenti, pare co-  
« gnatis, obsequere amicis, obtempera legibus. »

<sup>1</sup> Quæro, quonam te, etc. <sup>2</sup> Nostrum fundum.

Item, « Descende in integram defensionem, noli  
« quidquam recusare, da servos in quaestionem,  
« stude verum invenire. » Hoc genus et acrimoniam  
habet in se, et vehementissimum est, et ad bre-  
vitatē accommodatum.

Præcisio est, quum, dictis quibusdam, reli-  
quum, quod coeptum est dici, relinquatur in au-  
dientium iudicio, sic: « Mihi tecum præcertatio  
« non est, ideo quod populus romanus me... nolo  
« dicere, ne cui forte arrogans videar: te autem  
« sæpe ignominia dignum putavit. » Item, « Tu ista  
« nunc audes dicere, qui nuper alienæ domui...?  
« non ausim dicere, ne, quum te digna dixerō,  
« me indignum quidpiam dixisse videar. » Hic atrocior  
tacita suspicio, quam disertā explanatio facta  
est.

Conclusio est, quæ brevi argumentatione ex iis,  
quæ ante dicta sunt, aut facta, conficit id, quod  
necessario consequatur, hoc modo: « Quod si Da-  
« nais datum erat oraculum, non posse capi Tro-  
« jam, sine Philoctetæ sagittis, hæc autem nihil aliud  
« fecerunt, nisi Alexandrum perculerunt: hunc ex-  
« stinguere, id nimirum capi fuit Trojam. »

XXXI. Restant etiam decem exornationes verbo-  
rum, quas idcirco non vage dispersimus, sed a su-  
perioribus separavimus, quod omnes in uno gene-  
re positæ sunt. Nam earum omnium hoc proprium

est, ut ab usitata verborum potestate recedatur,  
atque in aliam rationem cum quadam venustate  
oratio conferatur.

De quibus exornationibus nominatio est prima,  
quæ nos admonet, ut, cui rei nomen aut non sit,  
aut satis idoneum non sit, eam nosmet idoneo  
verbo nominemus, aut imitationis, aut significa-  
tionis causa. Imitationis, hoc modo, ut majores  
rudere, et vagire, et mugire, et murmurare, et  
sibilare appellaverunt. Significandæ rei causa, sic:  
« Postquam iste in rempublicam fecit impetum,  
« fragor civitatis inprimis est auditus. » Hoc gene-  
re raro utendum est, ne novi verbi assiduitas odium  
pariat: sed si commode quis eo utatur, et raro,  
non modo non offendet novitate, sed exornabit  
etiam orationem.

Pronominatio est, quæ sicuti cognomine quo-  
dam extraneo demonstrat id, quod suo nomine  
appellari non potest; ut, si quis, quum loquatur  
de Gracchis: « At non Africani nepotes, inquiet,  
« istiusmodi fuerunt. » Item, si quis de adversario  
quum dicat: « Videte nunc, <sup>1</sup>inquiet, iudices, quem  
« admodum me Plagiosippus iste tractarit. » Hoc  
pacto non inornate poterimus et in laudando, et in  
lædendo, <sup>2</sup> aut corpore, aut animo, aut extraneis

<sup>1</sup> Inquit. <sup>2</sup> In corpore, in animo, aut in extraneis rebus.



rebus dicere, sicuti cognomen, quod pro certo nomine<sup>1</sup> collocemus.

XXXII. Denominatio est, quæ a propinquis et finitimis rebus trahit orationem, qua possit intelligi res, quæ non suo vocabulo sit appellata. Id aut ab inventore conficitur, ut si quis de Tarpeio loquens, eum Capitolinum nominet: aut ab invento, ut si quis pro Libero vinum, pro Cerere frugem appellet: aut ab instrumento dominum, ut si quis Macedonas appellarit, hoc modo: « Non tam cito « sarissæ Græcia potitæ sunt »; aut idem, Gallos significans, dicat: « Nec tam facile ex Italia materis « Transalpina depulsa est »: aut id, quod fit, ab eo, qui facit; ut, si quis, quum bello velit ostendere aliquid quempiam fecisse, dicat: « Mars istud « te facere necessario coegit »: aut si, quod facit, ab eo, quod fit, ut, quum desidiosam artem dicemus, quia desidiosos facit; et frigus pigrum, quia pigros facit. Ab eo, quod continet, id, quod continetur, hoc modo denominabitur: « Armis Italia « non potest viuci, nec Græcia disciplinis. » Nam hic pro Græcis et Italis, quæ continent, notata sunt. Ab eo, quod continetur, id, quod continet; ut, si quis aurum, vel argentum, aut ebur nominet, quum divitias velit nominare. Harum om-

<sup>1</sup> Collocamus. *si quis orator quædam res dicit*

nium denominationum magis in præcipiendo divisio, quam in quærendo difficilis inventio est, ideo quod plena consuetudo est non modo poetarum et oratorum, sed etiam quotidiani sermonis, huiusmodi denominationum.

Circuitio est oratio, rem simplicem<sup>1</sup> assumta circumscribens elocutione, hoc pacto: « Scipionis « providentia Carthaginis opes fregit. » Nam hic, nisi ornandi ratio quadam esset habita, Scipio potuit et Carthago simpliciter appellari.

Transgressio est, quæ verborum perturbat ordinem perversione, aut transjectione. Perversione, sic: « Hoc vobis deos immortales arbitror dedisse « pietate pro vestra. » Transjectione, hoc modo: « Instabilis in istum plurimum fortuna valuit. » Item, « Omnes invidiose eripuit tibi bene vivendi « casus facultates. » Huiusmodi transjectio, quæ rem non reddit obscuram, multum proderit ad continuationes, de quibus ante dictum est: in quibus oportet verba<sup>2</sup> sint ad poeticum quemdam extracta numerum, ut perfecte et perpolitissime possint esse absolutæ.

XXXIII. Superlatio est oratio superans veritatem, alicujus augendi, minuendive causa. Hæc sumi-

<sup>1</sup> Assumptam. <sup>2</sup> Sicut a poetis in quemdam extruere numerum.

tur separatim, aut cum comparatione. Separatim sic: «Quod si concordiam retinebimus, imperii «magnitudinem solis ortu atque occasu metiemur.» Cum comparatione, aut a similitudine, aut a præstantia [superlatio sumitur]. A similitudine sic: «Corpore niveum candorem, aspectu igneum ardorem assequatur.» A præstantia, hoc modo: «Cujus ore sermo melle dulcior profluebat.»<sup>1</sup> Ex eodem genere hoc est: «Tantus erat in armis «splendor, ut solis fulgor obscurior videretur.»

Intellectio est, quum res tota parva de parte cognoscitur, aut de toto pars. De parte totum si intelligitur: «Non illæ te nuptiales tibiæ ejus matrimonii commonebant?» Nam hic omnis sanctimonia nuptiarum, uno signo tibiærum intelligitur. De toto pars, ut si quis ei, qui vestitum aut ornatum sumtuosum ostendet, dicat: «Ostentas mihi «divitias, et locupletes copias jactas.» Ab uno plura intelliguntur, hoc modo: «Pæno fuit Hispanus auxilio, fuit immanis ille Transalpinus: «in Italia quoque idem nonnemo togatus sensit.» A pluribus unum sic intelligitur: «Atrox calamitas «pectora mœrore pulsabat. Itaque anhelans ex «imis pulmonibus præ cura spiritus ducebatur.» Nam in superioribus plures Hispani, et Galli, et

<sup>1</sup> Abest ex.

togati, hic unum pectus et unus pulmo intelligitur: et erit illic diminutus numerus festivitatis, hic adauctus gravitatis gratia.

Abusio est, quæ verbo simili et propinquo pro certo et proprio abutitur, hoc modo: «Vires hominis breves sunt, aut parva statura, aut longum «in homine consilium;—aut oratio magna,—aut «uti pauco sermone.» Nam hic facile est intellectu, finitima verba rerum dissimilium, ratione abusionis esse traducta.

XXXIV. Translatio est, quum verbum in quamdam rem transfertur ex alia re, quod propter similitudinem recte<sup>1</sup> videbitur posse transferri. Ea utimur rei ante oculos ponendæ causa, sic: «Hic «Italiam tumultus expergefecit terrore subito.» Brevitatis causa, sic: «Recens adventus exercitus «subito civitatem exstinxit.» Obscœnitatis vitandæ causa, sic: «Cujus mater quotidianis nuptiis delectatur.» Augendi causa, sic: «Nullius mœrore «et calamitas istius explere inimicitias, et nefariam «saturare crudelitatem potuit.» Minuendi causa, sic: «Magno se prædicat auxilio fuisse, quia paululum in rebus difficillimis aspiravit.» Ornandi causa, sic: «Aliquando reipublicæ rationes, quæ «malitiâ nocentum<sup>2</sup> exaruerunt, virtute optima-

<sup>2</sup> Videtur. <sup>2</sup> Exaruerant.



« tum <sup>1</sup> revirescent. » Translationem dicunt pudentem esse oportere, ut cum ratione in consimilem rem transeat, ne sine delectu temere et cupide videatur in dissimilem transcurrisse.

Permutatio est oratio, aliud verbis, aliud sententia demonstrans. Ea dividitur in tres partes, similitudinem, argumentum, contrarium. Per similitudinem sumitur, quum translationes, una, aut plures, frequenter ponuntur a simplici ratione ductæ, sic: « Nam quum canes funguntur officiis » « Inporum, cui præsidio pecua credemus? » Per argumentum tractatur, quum a persona, aut a loco, aut a re aliqua, similitudo, augendi aut minuendi causa, ducitur: « Ut si quis Drusum, » <sup>2</sup> « Gracchum, Numitorem obsoletum dicat. » Ex contrario ducitur sic: « Ut si quis hominem prodigum et luxuriosum illudens, parcum et diligentem appellet. » Et in hoc postremo, quod ex contrario sumitur; et in illo primo, quod a similitudine ducitur, per translationem argumento poterimus uti. Per similitudinem, sic: « Quid ait hic » « rex, atque Agamemnon noster, sive, ut crudelitas est, potius Atreus? » Ex contrario: « Si quem » « impium, qui patrem verberaverit, Æneam vocemus; intemperantem et adulterum, Hippolytum

<sup>1</sup> Revirtute. <sup>2</sup> Schütz: Gracchi nitorem obsoletum.

« nominemus. » Hæc sunt fere, quæ dicenda videbantur de verborum exornationibus. Nunc res ipsa monet, ut deinceps ad sententiarum exornationes transeamus.

XXXV. Distributio est, quum in plures res, aut personas, negotia quædam dispartuntur, hoc modo: « Qui vestrum, iudices, nomen senatus » « diligit, hunc oderit necesse est: petulantissime » « enim semper iste oppugnavit senatum. Qui equestrem locum splendidissimum cupit esse in civitate, is oportet istum maximas penas dedisse » « velit, ne iste sua turpitudine ordini honestissimo » « maculæ atque dedecori sit. Qui parentes habetis, » « ostendite istius supplicio, vobis homines impios » « non placere. Quibus liberi sunt, statuite exemplum, quantæ pœnæ in civitate sint hominibus » « istiusmodi comparatæ. » Item, « Senatus officium » « est, consilio civitatem juvare; magistratus officium » « est, opera et diligentia consequi voluntatem senatus; populi officium est, res optimas, et homines » « idoneos maxime, suis sententiis <sup>1</sup> deligere et propere » « bare. » — « Accusatoris officium est, inferre crimina; defensoris, diluere et propulsare; testis » « est, dicere, quæ <sup>2</sup> sciat, aut audierit; quassitoris » « est, unumquemque horum in officio suo conti-

<sup>1</sup> Eligere. <sup>2</sup> Scierit.

«nere. Quare, L. Cassi, si testem, præterquam  
 «quod sciat, aut audierit, argumentari, et con-  
 «jectura prosequi patieris; jus accusatoris cum  
 «jure testimonii commiscebis, testis improbi cupi-  
 «ditatem confirmabis, reo duplicem defensionem  
 «parabis.» Est hæc exornata copiosa. Compre-  
 hendit enim brevi multa, et suum cuique tribuens  
 officium, separatim res dividit plures.

XXXVI. Licentia est, quum apud eos, quos aut  
 vereri, aut metuere debemus, tamen aliquid pro  
 jure nostro dicimus, quod eos minime offendat,  
 aut quos ii diligunt, quum in aliquo errato vere  
 reprehendi posse videantur, hoc modo: «Mira  
 «mini, Quirites, quod ab omnibus vestræ rationes  
 «deserantur? quod causam vestram nemo susci-  
 «piat? quod se nemo vestri defensorem profiteatur?  
 «Id tribuite vestræ culpæ; atque desinite mirari.  
 «Quid enim est, quare non omnes istam rem  
 «fugere ac vitare debeant? Recordamini, quos ha-  
 «bueritis defensores; studia eorum vobis ante ocu-  
 «los <sup>r</sup> proponite; deinde exitus omnium conside-  
 «rate. Tum vobis veniet in mentem, ut vere dicam,  
 «negligentia vestra, sive ignavia potius illos om-  
 «nes ante oculos vestros trucidatos esse, inimicos  
 «eorum vestris suffragiis in amplissimum locum

<sup>r</sup> Ponite.

«pervenisse.» Item, «Nam quid fuit, iudices,  
 «quare in sententiis ferendis dubitaveritis, aut  
 «istum hominem nefarium ampliaveritis? Non  
 «apertissimæ res erant crimini datæ? Non omnes  
 «hæc testibus comprobatæ? Non contra tenuit et  
 «nugatorie responsum? Hic vos veriti estis, si  
 «primo cœtu condemnassetis, ne crudeles existi-  
 «maremini? Dum eam vitastis vituperationem,  
 «quæ longe a vobis erat abfutura, eam invenistis,  
 «ut timidi atque ignavi putaremini. Maximas, et  
 «privatas, et publicas calamitates accepistis: quum  
 «etiam majores impendere videantur, sedetis et  
 «oscitamini. Luce noctem, nocte lucem expec-  
 «tatis. Aliquid quotidie acerbi atque incommodi  
 «nuntiatur, et eum, cujus opera vobis hæc acci-  
 «dunt, remoramini diutius et alitis; ac reipublicæ  
 «perniciem retinetis, quoad potestis, in civitate.»

XXXVII. Ejusmodi licentia si nimium videbitur  
 acrimonix habere, multis mitigationibus leniatur.  
 Nam continuo aliquid hujusmodi licebit inferre:  
 «Hic ego virtutem vestram quæro, sapientiam  
 «desidero, veterem consuetudinem requiro;» ut  
 quod erit commotum licentia, id <sup>r</sup> mitigetur laude;  
 ut altera res ab iracundia et molestia removeat,  
 altera ab errato deterreat. Hæc res, sicut in ami-

<sup>r</sup> Laude mitigetur.



citia, ita in dicendo, si loco fit, maxime facit, ut et illi, qui <sup>1</sup> audient, a culpa absint, et nos, qui dicimus, amici <sup>2</sup> ipsorum et veritatis esse videamur.

Est autem quoddam genus licentiæ in dicendo, quod astutiore ratione comparatur: quum aut ita objurgamus eos, qui audiunt, quomodo ipsi se <sup>3</sup> cupiant objurgari: aut id, quod scimus facile omnes audituros, dicimus nos timere, quomodo accipiant; sed tamen veritate commoveri, ut nihilo secius dicamus. Horum amborum generum exempla subjiciemus. Prioris, hujusmodi: « Nimum, « Quirites, animis estis simplicibus et mansuetis; « nimum creditis unicuique. Existimatis unum- « quemque eniti, ut perficiat, quæ vobis pollicitus « sit. Erratis, et frustra falsa spe jam diu detine- « mini. Stultitia vestra <sup>4</sup> id, quod erat in vestra « potestate, ab aliis petere, quam ipsi sumere ma- « luitis. » Posterioris licentiæ hoc erit exemplum: « Mihi cum isto, iudices, fuit amicitia; sed <sup>5</sup> ista « amicitia, tametsi vereor quomodo accepturi sitis, « <sup>6</sup> dicam tamen, vos me privastis. Quid ita? Quia, « ut vobis essem probatus, eum, qui vos oppug- « nabat, inimicum, quam amicum habere malui. » Ergo hæc exornatio, cui licentiæ nomen est, sicuti

<sup>1</sup> Audiunt. <sup>2</sup> Eorum. <sup>3</sup> Cupiunt. <sup>4</sup> Est, qui quod.  
<sup>5</sup> Ista tapen. <sup>6</sup> Abst dicam tamen.

demonstravimus, duplici ratione tractabitur; acrimonia, quæ si nimum fuerit aspera, mitigabitur laude, et assimulatione, de qua posterius diximus, quæ non indiget mitigationis, propterea quod imitatur licentiam, et sua sponte ad animum auditoris se accommodat.

XXXVIII. Deminutio est, quum aliquid esse in nobis, aut in iis, quos defendimus, aut natura, aut forma, aut industria dicemus egregium: quod, ne qua significetur arrogans ostentatio, deminuitur et attenuatur oratione, hoc modo: « Nam hoc pro meo « jure, iudices, dico, me labore et industria cu- « rasse, ut disciplinam militarem non in postremis « tenerem. » Hic si quis dixisset, ut optime tene- rem, tametsi vere dixisset, tamen arrogans visus esset. Nunc et ad invidiam vitandam, et ad laudem comparandam satis dictum est. Item, « Utrum igitur « avaritiæ causa, an egestatis, accessit ad malefi- « cium? Avaritiæ? at largissimus fuit in amicos; « quod signum liberalitatis est, quæ <sup>1</sup> est contraria « avaritiæ. Egestatis? at huic quidem pater (nolo « nimum dicere) non tenuissimum patrimonium « reliquit. » Hic quoque vitatum est, ne magnum aut maximum diceretur. Hoc igitur in nostris, aut eorum, quos defendemus, egregiis commodis pro-

<sup>1</sup> Contraria est avaritiæ.

ferendis observabimns. Nam ejusmodi res et invidiam contrahunt in vita, et odium in oratione, si inconsiderate tractes. Quare, quemadmodum ratione <sup>1</sup> in vivendo fugitur invidia, sic in dicendo, consilio vitatur odium.

XXXIX. Descriptio nominatur, quæ rerum consequentium continet perspicuam et dilucidam cum gravitate expositionem, hoc modo: « Quod si istum, judices, vestris sententiis liberaveritis, statim sicut e cavea leo missus, aut aliqua teterrima bellua soluta ex catenis, volitabit et vagabitur in foro, acuens dentes <sup>2</sup> multos, in cujusque fortunas, in omnes amicos atque inimicos, notos atque ignotos incursans; aliorum famam depeculans, aliorum caput oppugnans, aliorum domum atque omnem familiam perfringens, rempublicam funditus labefactans. Quare, judices, ejicite eum de civitate, liberate omnes formidine: vobis denique ipsis consulite. Nam si istum impunitum dimiseritis, in vosmet ipsos, mihi credite, feram et truculentam bestiam <sup>3</sup> immiseritis. » Item, « Nam si de hoc, judices, gravem sententiam tuleritis, uno judicio simul multos jugulaveritis. » Grandis natu parens, cujus spes senectutis omnibus in hujus adolescentia posita est, quare velit

<sup>1</sup> Vivendi. <sup>2</sup> Mel. inultos. <sup>3</sup> Additur judices.

« in vita manere, non habebit: filii parvi, privati patris auxilio, ludibrio et despectui paternis inimicis erunt oppositi: tota domus hujus indigna concidet calamitate: at inimici statim sanguinolenta palma, crudelissime victoria potiti, insultabunt in horum miserias, et superbi re simul et verbis invehentur. » Item, « Nam neminem vestrum fugit, Quirites, capta urbe, quæ miseræ consequi soleant: arma qui contra tulerint, statim crudelissime trucidantur; ceteri, qui possunt per ætatem et vires laborem ferre, rapiuntur in servitum; qui non possunt, vita privantur: uno denique atque eodem tempore domus hostili <sup>2</sup> flagrat incendio, et quos natura, aut voluntas necessitudine, aut benivolentia conjunxit, distrahunt: liberi partim e gremiis parentum diripiuntur, partim in sinu jugulantur, partim ante pedes constuprantur. Nemo, judices, est, qui possit satis rem consequi verbis, nec referre oratione magnitudinem calamitatis. » Hoc genere exornationis, vel indignatio, vel misericordia potest commoveri, quum res consequentes comprehensæ universæ perspicua breviter exprimuntur oratione.

XL. Divisio est, quæ rem semovens <sup>3</sup> ab re, utramque absolvit, ratione subjecta, hoc modo:

<sup>1</sup> Nostrum. <sup>2</sup> Flagravit. <sup>3</sup> A re.



« Cur ego nunc tibi quicquam objiciam? Si probus  
 « es, non meruisti: sin improbus, non commove-  
 « ris. » Item, « Quid nunc ego de meis <sup>1</sup> promeritis  
 « prædicem? Si meministi, obtundam: sin oblitū  
 « estis, quum re nihil egerim, quid est, quod ver-  
 « bis proficere possim? » Item, « Duæ res sunt,  
 « quæ possunt homines ad turpe compendium com-  
 « movere, inopia atque avaritia. Te avarum in  
 « fraterna divisione cognovimus; inopem atque  
 « egentem nunc videmus. Qui potes igitur ostendere  
 « causam maleficii non fuisse? » Inter hanc divi-  
 « sionem, et illam, quæ de partibus orationis tertia  
 « est, de qua in libro primo diximus secundum nar-  
 « rationem, hoc interest: illa dividit per enumeratio-  
 « nem, aut per expositionem, quibus de rebus in tota  
 « oratione disputatio futura sit; hæc se statim expli-  
 « cat, et brevi duabus aut pluribus partibus subji-  
 « ciens rationes, exornat orationem.

Frequentatio est, quum res in tota causa dispersæ  
 coguntur in unum, quo gravior, aut acrior, aut  
 criminosior oratio sit, hoc pacto: « A quo tandem  
 « abest iste vitio? Quid est, judices, cur velitis eum  
 « liberare? Suae pudicitiae proditor est, insidiator  
 « alienæ; cupidus, intemperans, petulans, super-  
 « bus; impius in parentes, ingratus in amicos, in-

<sup>1</sup> Propriis meritis.

« festus in cognatos, in superiores contumax, in  
 « æquos et pares fastidiosus, in inferiores crudelis,  
 « denique in omnes intolerabilis. »

XLI. Ejusdem generis est illa frequentatio, quæ  
 plurimum conjecturalibus causis opitulatur, quum  
 suspiciones, quæ separatim dictæ, minutæ et in-  
 firmæ erant, unum in locum coactæ rem videntur  
 perspicuam facere, non suspiciosam, hoc pacto:  
 « Nolite igitur, nolite, judices, ea, quæ dixi, se-  
 « paratim spectare; sed omnia colligite, et conferte  
 « in unum. Si et commodum ad istum ex illius  
 « morte veniebat, et vita hominis est turpissima,  
 « animus avarissimus, <sup>1</sup> fortunæ familiares atte-  
 « nuatissimæ, et res ista bono nemini præter istum  
 « fuit; neque alius quisquam æque commode, ne-  
 « que iste aliis commodioribus rationibus facere  
 « potuit; neque præteritum quicquam est ab isto,  
 « quod opus fuerit ad maleficium, neque factum,  
 « quod opus non fuerit; et quum locus idoneus  
 « maxime quesitus, tum occasio aggrediendi com-  
 « moda, tempus adeundi opportunissimum, spa-  
 « tium conficiendi longissimum sumtum est, non  
 « sine maxima occultandi et perficiendi maleficii  
 « spe; et præterea ante, quam occisus homo is est,  
 « iste visus est in eo loco, in quo occisio facta, so-

<sup>1</sup> Fortuna familiaris rei attenuatissima.

« lus; paulo post in ipso maleficio, vox illius, qui  
 « occidebatur, audita; deinde post occisionem,  
 « istum multa nocte domum rediisse constat; pos-  
 « tera die titubanter et inconstanter de occisione  
 « illius locutum; hæc partim testimoniis, partim  
 « questionibus et argumentis omnia comprobantur,  
 « et rumore populi, quem ex argumentis natum,  
 « necesse est esse verum: vestrum est, iudices, his  
 « in unum locum collatis, certam sumere scientiam,  
 « non suspicionem maleficii. Nam unum aliquid,  
 « aut alterum potest in istum casu cecidisse suspi-  
 « cioso: ut omnia inter se a primo ad postremum  
 « conveniant [ maleficia ], necesse est casu non posse  
 « fieri. » Vehemens est hæc exornatio, et in conjectu-  
 « rali constitutione causæ ferme semper necessaria,  
 « et in ceteris generibus causarum, et in omni ora-  
 « tione adhibenda nonnunquam.

XLII. Expolitio est, quum in eodem loco mane-  
 mus, et aliud atque aliud dicere videmur. Ea du-  
 pliciter fit, si aut eandem plane rem dicemus,  
 aut de eadem re. Eandem rem dicemus, non eodem  
 modo (nam id quidem obtundere auditorem est,  
 non rem expolire), sed commutate. Commutabi-  
 mus tripliciter, verbis, pronuntiando, tractando.  
 Verbis commutabimus, quum, re semel dicta, ite-  
 rum, aut sæpius aliis verbis, quæ idem valeant,  
 eadem res proferetur, hoc modo: « Nullum tan-

« tum est periculum, quod sapiens pro salute pa-  
 « triæ vitandum arbitretur. Quum agetur incolumi-  
 « tas perpetua civitatis, qui bonis erit rationibus  
 « præditus, profecto nullum vitæ discrimen sibi  
 « pro fortunis reipublicæ fugiendum putabit; et  
 « erit in ea sententia semper, ut pro patria studiose  
 « quamvis in magnam descendat vitæ dimicatio-  
 « nem. » Pronuntiando commutabimus, si tum in  
 sermone, tum in acrimonia, tum in alio atque alio  
 genere vocis atque gestus, eadem verbis commu-  
 tando, <sup>1</sup> pronuntiationem quoque vehementius im-  
 mutabimus. Hoc neque commodissime scribi potest,  
 neque parum est apertum: quare non eget exem-  
 pli. Tertium genus est commutationis, quod tract-  
 ando conficitur, si sententiam trajiciemus aut ad  
 sermocinationem, aut ad exsuscitationem.

XLIII. Sermocinatio est (de qua planius paulo  
 post suo loco dicemus, nunc breviter ad hanc rem,  
 quod satis sit, attingemus), in qua constituetur  
 alicujus personæ oratio accommodata ad dignita-  
 tem, hoc modo, ut, quo facilius res cognosci pos-  
 sit, ne ab eadem sententia recedamus: « Sapiens,  
 « qui omnia reipublicæ causa suscipienda pericula  
 « putabit, sæpe ipse secum sic loquetur: Non mihi  
 « soli, sed etiam atque adeo multo potius, natus.

<sup>1</sup> Pronuntiatione.



« sum patriæ: vita quæ fato debetur, salutî patriæ  
 « potissimum solvatur. Aluit hæc me: tute atque  
 « honeste produxit usque ad hanc ætatem: muniit  
 « meas rationes bonis legibus, optimis moribus,  
 « honestissimis disciplinis. Quid est, quod a me sa-  
 « tis ei persolvi possit, unde hæc accepta sunt?  
 « Quia hæc loquitur secum sapiens, sæpe ego in pe-  
 « riculis reipublicæ nullum ipse periculum fugi. -  
 Item mutatur res tractando, si traducitur ad exsus-  
 citationem, quum et nos commoti dicere videamur,  
 et auditoris animum commovemus, sic: « Quis est  
 « tam tenui cogitatione præditus, ejus animus  
 « tantis angustiis invidiæ continetur, qui non hunc  
 « hominem studiosissime laudet, et sapientissimum  
 « judicet, qui pro salute patriæ, pro incolunitate  
 « civitatis, pro reipublicæ fortunis quamvis mag-  
 « num atque atrox periculum studiose suscipiat, et  
 « libenter subeat? Equidem hunc hominem magis  
 « cupio satis laudare, quam possum; idemque hoc  
 « certo scio vobis omnibus usu venire.»

Eadem res igitur his tribus in dicendo commuta-  
 bitur, rebus, verbis, pronuntiando, tractando: sed  
 tractando dupliciter, sermocinatione, et exsusci-  
 tatione. Sed de eadem re quum dicemus, pluribus  
 utemur commutationibus. Nam quum rem simpli-  
 eiter pronuntiaverimus, rationem poterimus subjici-

cere: deinde <sup>1</sup> dupliciter, vel sine rationibus, vel  
 cum rationibus, pronuntiare sententiam: deinde  
 afferre contrarium; de quibus omnibus diximus in  
 verborum exoratioibus: deinde simile et exem-  
 plum, de quo suo loco plura dicemus: deinde con-  
 clusionem, de qua in secundo libro, quæ opus  
 fuerunt, diximus, demonstrantes, argumentatio-  
 nem quemadmodum concludere oporteat. In hoc  
 libro docuimus, cujusmodi esset exornatio verbi,  
 cui conclusioni nomen est.

XLIV. Ergo hujusmodi vehementer ornata po-  
 terit esse expositio, quæ constabit ex frequentibus  
 verborum exornationibus et sententiarum. Hoc  
 modo igitur septem partibus tractabitur. Sed ab  
 ejusdem sententiæ non <sup>2</sup> recedemus exemplo, ut  
 scire possis, quam facile præceptione rhetorica res  
 simplex multiplici ratione tractetur. « Sapiens nul-  
 « lum pro republica periculum vitabit; ideo quod  
 « sæpe fit, ut, quum pro republica perire noluerit,  
 « necessario cum republica pereat. Et quoniam  
 « sunt omnia commoda a patria accepta, nullum  
 « incommodum pro patria grave putandum est.  
 « Ergo qui fagiunt id periculum, quod pro repu-  
 « blica subeundum est, stulte faciunt. Nam neque

<sup>1</sup> Duplicem. <sup>2</sup> Recedamus.

« effugere incommoda possunt, et ingrati in civi-  
 « tatem reperiuntur. At, qui patriæ pericula suo peri-  
 « culo expetunt, hi sapientes putandi sunt, quum  
 « et eum, quem debent, honorem reipublicæ red-  
 « dunt, et pro multis perire malunt, quam cum  
 « multis. Etenim vehementer est iuicquum, vitam,  
 « quam a natura acceptam propter patriam con-  
 « servaveris, naturæ, quum cogat, reddere; patriæ,  
 « quum roget, non dare; et quum possis cum summa  
 « virtute et honore pro patria interire, malle per  
 « dedecus et ignaviam vivere; et, quum pro amicis  
 « et parentibus et ceteris necessariis adire pericu-  
 « lum velis, pro republica, in qua et <sup>1</sup> hæc, et illud  
 « sanctissimum nomen patriæ <sup>2</sup> continentur, nolle  
 « in discrimen venire. Itaque uti contemnendus  
 « est, qui in navigando se, quam navim, mavult  
 « incolorem: ita vituperandus, qui in reipublicæ  
 « discrimine, suæ plus, quam communi saluti,  
 « consulit. Nave enim fracta, multi incolomes eva-  
 « serunt: ex naufragio patriæ salvus nemo potest  
 « enatare. Quod mihi bene videtur Decius intel-  
 « lexisse, qui se devovisse dicitur, et pro legioni-  
 « bus in hostes immisisse medios: <sup>3</sup> unde amisit  
 « vitam; at non perdidit: re enim vilissima certam,  
 « et parva maximam redemit. Dedit vitam, accepit

<sup>1</sup> Hoc. <sup>2</sup> Continentur. <sup>3</sup> Abest unde.

« patriam: amisit animam, potitus est gloria, quæ  
 « cum summa laude prodita vetustate quotidie ma-  
 « gis enitescit. Quod si, pro republica debere ac-  
 « cedere ad periculum, et ratione demonstratum  
 « est, et exemplo comprobatum, ii sapientes sunt  
 « existimandi, qui nullum pro salute patriæ peri-  
 « culum vitant. » In his igitur generibus expolitio  
 versatur, de qua producti sumus, ut plura dicere-  
 mus, quod non modo, quum causam dicimus, ad-  
 juvat et exornat orationem, sed multo maxime per  
 eam exercemur ad elocutionis facultatem. Quare  
 conveniet extra causam in exercendo rationes ad-  
 hibere expolitionis, in dicendo uti, quum exorna-  
 bimus argumentationem, de qua diximus in libro  
 secundo.

XLV. Commoratio est, quum in loco firmissimo,  
 quo tota causa continetur, manetur diutius, et eo-  
 dem sæpius reditur. Hac uti maxime convenit, et  
 id est oratoris boni maxime proprium. Non enim  
 datur auditori potestas animum de re firmissima  
 dimovendi. Huic exemplum satis idoneum subjici  
 non potuit, propterea quod hic locus non est a tota  
 causa separatus, sicuti membrum aliquod, sed  
 tanquam sanguis, perfusus est per totum corpus  
 orationis.

Contentio est, per quam contraria referuntur. Ea  
 est in verborum exornationibus, ut ante docui-



mus, ejusmodi: « Inimicis te placabilem, amicis  
« inexorabilem præbes. » In sententiarum, hujus-  
modi: « Vos hujus incommodis lugetis, iste rei-  
« publicæ calamitate lætatur. Vos vestris fortunis  
« diffiditis, iste solus suis eo magis confidit. » Inter  
hæc duo contentionum genera hoc interest: illud  
ex verbis celeriter relatis constat; hic sententiæ  
contrariæ ex comparatione referantur oportet.

Similitudo est oratio traducens ad rem quam-  
piam aliquid ex re dispari simile. Ea sumitur aut  
ornandi causa, aut probandi, aut apertius dicendi,  
aut ante oculos ponendi. <sup>1</sup> Et quomodo quatuor  
de causis sumitur, ita quatuor modis dicitur: per  
contrarium, per negationem, per brevitatem; per  
collationem. Ad unamquamque sumendæ causam  
similitudinis accommodabimus singulos modos pro-  
nuntiandi.

XLVI. Ornandi causa sumitur per contrarium,  
sic: « Non enim, quemadmodum in palæstra, qui  
« tadas <sup>2</sup> ardentis accipit, celerior est in cursu con-  
« tinuo, quam ille, qui tradit; ita melior imperator  
« novus, qui accipit exercitum, quam ille, qui de-  
« cedit: propterea quod defatigatus cursor integro  
« facem, hic peritus imperator imperito exercitum  
« tradit. » Hoc sine simili satis plane, et perspicue,

<sup>1</sup> Quomodo igitur. <sup>2</sup> Candentes.

et probabiliter dici potuit, hoc modo: <sup>1</sup> « Minus  
« bonos imperatores a melioribus exercitum acci-  
« pere solere: » sed ornandi causa simile sumtum  
est, ut orationi dignitas quædam <sup>2</sup> compararetur.  
Dictum est autem per contrarium. Nam tunc simi-  
litudino sumitur per contrarium, quum ei rei, quam  
nos probamus, aliquam rem negamus esse simi-  
lem, ut paullo ante, quum de cursoribus dissere-  
bamus. Per negationem dicitur, probandi causa,  
hoc modo: « Neque equus indomitus, quamvis  
« natura bene compositus sit, idoneus potest esse  
« ad eas utilitates, quæ desiderantur ab equo; ne-  
« que homo indoctus, quamvis sit ingeniosus, ad  
« virtutem potest pervenire. » Hoc probabilius fac-  
tum est; quod magis est verisimile, non posse vir-  
tutem sine doctrina comparari, quoniam ne equus  
quidem indomitus idoneus possit esse. Ergo sum-  
tum est probandi causa. Dictum est autem per  
negationem. Id enim perspicuum est de primo si-  
militudinis verbo.

XLVII. Sumetur et, apertius dicendi causa, si-  
militudo per brevitatem, hoc modo: « In amicitia  
« gerenda, sicut in certamine currendi, non ita  
« convenit exerceri, ut, quoad necesse sit, perve-  
« nire possis; sed ut productus studio, et viribus,

<sup>1</sup> Dicitur, minus bonos. <sup>2</sup> Comparetur.

« ultra facile procurras. » Nam hoc simile est, ut apertius intelligatur, mala ratione facere, qui reprehendant eos, qui, verbi causa, post mortem amici liberis ejus custodiant, propterea quod in cursore tantum velocitatis esse oporteat, ut efferratur usque ad finem; in amico tantum benivolentiæ, ut ultra, quam amicus sentire possit, procurrat amicitiae studio. Dictum autem simile est per brevitatem. Non enim ita, ut in ceteris rebus, res ab re separata est, sed utraque res conjuncte et confuse comparata. Ante oculos ponendi negotii causa sumetur similitudo, <sup>1</sup> quam dicitur per collationem, sic: « Uti citharædus, quum prodierit optime vestitus, palla inaurata indutus, cum chlamyde purpurea, coloribus variis intexta, et cum corona aurea, magnis fulgentibus gemmis illuminata, citharam tenens exornatissimam, auro et ebore distinctam, ipse præterea forma et specie sit et statura apposita ad dignitatem; si, quum magnam populo commoverit his rebus expectationem, repente silentio facto, vocem emittat acerbissimam cum turpissimo corporis motu; quo melius ornatus et magis fuerit expectatus, eo magis derisus et contemptus, ejicitur: ita si quis in excelso loco, et in magnis ac locupletibus copiis

<sup>1</sup> Abest quum dicitur.

« collocatus, fortunæ muneribus, et naturæ commodis omnibus abundabit; si virtutis, et artium, quæ virtutis magistræ sunt, egebit; quo magis ceteris rebus <sup>1</sup> copiosus erit, et illustris, et expectatus, eo vehementius derisus et contemptus, « ex omni conventu bonorum ejicietur. » Hoc simile, exornatione utriusque rei, et alterius inertiae artificis alterius <sup>2</sup> stultitia simili ratione collata, sub aspectum omnium rem subjicit. Dictum autem est per collationem, propterea quod, proposita similitudine, paria sunt omnia relata.

XLVIII. In similibus observare oportebit diligenter, ut, quum rem afferamus similem, cujus rei causa similitudinem attulerimus, verba quoque ad similitudinem habeamus accommodata. Id est hujusmodi: « Ut hirundines æstivo tempore præsto sunt, frigore pulsæ recedunt. » Ex eadem similitudine nunc per translationem verba sumimus: « Ita falsi amici sereno vitæ tempore præsto sunt; simul atque hiemem fortunæ viderint, devolant omnes. » Sed inventio similium facilis erit, si quis sibi omnes res animatas et inanimatas, mutas et loquentes, feras et mansuetas, terrestres et cælestes et maritimas, artificio, casu, natura comparatas, usitatas atque inusitatas, frequenter ante

<sup>1</sup> Erit copiosus et industrius. <sup>2</sup> Stultitia.



oculos poterit ponere, et ex his aliquam venari similitudinem, quæ aut ornare, aut docere, aut apertio-rem rem facere, aut ponere ante oculos possit. Non enim res tota toti rei necesse est similis sit, sed ad ipsum, ad quod conferetur, similitudinem habeat oportet.

XLIX. Exemplum est alicujus facti, aut dicti [ præteriti ], cum certi auctoris nomine propositio. Id sumitur iisdem de causis, quibus similitudo. Rem ornatiorē facit, quum nullius rei, nisi dignitatis, causa sumitur: apertio-rem, quum id, quod sit obscurius, magis dilucidum reddit: probabiliorem, quum magis verisimilem facit: ante oculos ponit, quum exprimit omnia perspicue, ut res <sup>1</sup> prope dicam manu tentari possit. Uniuscujusque generis singula subjecissemus exempla, nisi exemplum, quod genus esset, in expolitione demonstrassemus, et causa sumendi in similitudine aperuissemus. Quare nolimus, neque pauca, quo minus intelligeretur, neque, re intellecta, plura conscribere.

Imago est formæ cum forma cum quadam similitudine collatio. Hæc sumitur aut laudis, aut vituperationis causa. Laudis causa, sic: « Ibat in prælium, corpore tauri validissimi, impetu leonis

<sup>1</sup> Dicta prope manu.

« acerrimi similis. » Vituperationis, ut in odium, aut in invidiam, aut in contemtionem adducat. Ut in odium, hoc modo: « Iste quotidie per forum medium, tanquam jubatus draco serpit, dentibus aduncis, aspectu venenato, spiritu rabido, circumspiciens huc et illuc, si quem reperiat, cui aliquid mali faucibus afflare [ ore attingere ], dentibus insecare, lingua aspergere possit. » Ut in invidiam adducat, hoc modo: « Iste, qui divitias suas jactat, sicut Gallus e Phrygia, aut hariolus quispiam, depressus et oneratus auro, clamat, et dejerat. » Ut in contemtionem adducat, sic: « Iste, qui tanquam cochlea, abscondens, et retentans sese tacitus, cum domo sua totus, ut comedatur, aufertur. »

Effictio est, quum exprimitur et effingitur verbis corporis cuiuspiam forma, quod satis sit ad intelligendum, hoc modo: « Hunc dico, iudices, rubrum, brevem, incurvum, canum, subcrispum, cæsi-um, cui sane magna est in mento cicatrix, si quo modo potest vobis in memoriam redire. » Habet hæc exornatio quum utilitatem, si quem velis <sup>2</sup> demonstrare; tum venustatem, si breviter et dilucide facta est.

<sup>1</sup> Retentat sese tacitus, quo sit tutus, comedatur cum domo sua, et aufertur. <sup>2</sup> Ostendere.

L. Notatio est, quum alicujus natura certis describitur signis, quæ, sicuti notæ quædam, naturæ sunt attributa. Ut si velis non divitem, sed ostentatorem <sup>1</sup> pecuniæ describere: «Iste, inquires, judices, qui, se dici divitem, putat esse præclarum, primum nunc videte, quo vultu nos intueatur. «Nonne vobis videtur dicere: Darem, si mihi molesti non essetis? Quum vero sinistra mentum sublevat, existimat se gemmæ nitore et auri splendore aspectus omnium præstringere. Quum puerum respicit hunc unum, quem ego novi (vos non arbitror novisse), alio nomine appellat, deinde alio atque alio. Heus tu, inquit, veni, Sannio, ne quid isti barbari <sup>2</sup> turbent: ut ignoti, qui audiunt, unum putent eligi de multis. Ei dicit in aurem, aut ut domi lectuli sternantur, aut ab avunculo rogetur Æthiops, qui ad balneas veniat, <sup>3</sup> aut asturconi locus ante ostium suum detur, aut aliquid fragile falsæ choragium gloriæ comparetur. Deinde exclamat, ut omnes audiant: Videto, ut diligenter numeretur, si potest, ante noctem. Puer, qui jam bene hominis naturam novit, Tu illo plures mittas oportet, inquit, si hodie vis transnumerari. Age, inquit, duc tecum Libanum et Sosiam. Sane. Deinde casu ve-

<sup>1</sup> Pecuniosum, pecuniosi. <sup>2</sup> Perturbent. <sup>3</sup> Abest aut.

«nunt hospites homini, qui istum splendide, dum peregrinaretur, receperant. Ex ea re homo hercle sane conturbatur: sed tamen a vitio naturæ non recedit. Bene, inquit, facitis, quum venitis: sed rectius fecissetis, si ad me domum recta abiissetis. «Id fecissemus, inquam illi, si domum novissemus. At istud quidem facile fuit undelibet invenire. Verum ite mecum. Sequuntur illi. Sermo interea hujus consumitur omnis in ostentatione. «Querit, in agris cujusmodi frumenta sint: negat se, quia villæ incensæ sint, accedere posse, nec ædificare etiam nunc audere; tametsi in Tusculano quidem cœpi insanire, et in iisdem fundamentis ædificare.»

LI. «Dum hæc loquitur, venit in ædes quædam, in quibus sodalitium erat eodem die futurum: quo iste pro notitia domini ædium ingreditur cum hospitibus. Hic, inquit, habito. Perspicit argentum, quod erat expositum, <sup>1</sup> triclinium stratum: probat. Accedit servulus: dicit homini <sup>2</sup> clam dominum jam venturum, si velit exire. «Itane? inquit, eamus, hospites; frater venit ex Salerno: ego illi obviam pergam: vos huc decuma veniote. Hospites discedunt. Iste se rapitum domum suam conjicit: illi decuma, quo

<sup>1</sup> Visit triclinium stratum. <sup>2</sup> Clare.



« jusserat, veniunt. Quærunthunc. Reperiunt, do-  
 « mus cuja sit: in diversorium derisi conferunt  
 « sese. Vident hominem postera die: narrant,  
 « exposulant, accusant. Ait iste, eos, similitudine  
 « loci deceptos, angiporto toto deerrasse: <sup>1</sup> se  
 « contra valetudinem suam ad noctem multam ex-  
 « spectasse. Sannioni puero negotium dederat, ut  
 « vasa, vestimenta, pueros corrogaret. Servulus  
 « non iurbanus satis strenue et concinne com-  
 « parat: iste hospites domum deducit. Ait se ædes  
 « maximas cuidam amico ad nuptias commodasse.  
 « <sup>2</sup> Nunciat puer, argentum repeti (pertimuerat  
 « enim, qui commodarat). Apagete, inquit, ædes  
 « commodavi, familiam dedi: argentum quoque  
 « vult? Tametsi hospites habeo, tamen utatur  
 « licet, nos Samiis delectabimur. Quid ego, quæ  
 « deinde efficiat, narrem? ejusmodi est hominis  
 « natura, ut, quæ singulis diebus efficiat gloria  
 « atque ostentatione, ea vix annuo sermone enar-  
 « rare possim. » Hujusmodi notationes, quæ descri-  
 « bunt, quid consentaneum sit uniuscujusque na-  
 « turæ, vehementer habent magnam delectationem.  
 Totam enim naturam cujuscumque ponunt ante  
 oculos, aut gloriosi, ut nos, exempli causa, cœpe-  
 ramus, aut invidi, aut timidi, aut avari, ambitiosi,

<sup>1</sup> Abest, sc. <sup>2</sup> Nunciat interea puer.

amatoris, luxuriosi, furis, quadruplatoris: deni-  
 que cujusvis studium protrahi potest in medium  
 tali notatione.

LII. Sermocinatio est, quum alicui personæ sermo  
 attribuitur, et is exponitur cum ratione dignitatis,  
 hoc pacto: « Quum militibus urbs redundaret, et  
 « omnes timore oppressi domi continerentur, venit  
 « iste cum sago, gladio succinctus, tenens jaculum:  
 « quinque adolescentes hominem simili ornatu sub-  
 « sequuntur. Irrumpit in ædes subito, deinde magna  
 « voce: Ubi est iste beatus, inquit, ædium domi-  
 « nus? Quin mihi præsto <sup>1</sup> fit? Quid tacetis? Hic  
 « alii omnes stupidi timore obmutuerunt. Uxor  
 « illius infelicissimi cum maximo fletu ad istius pe-  
 « des abjecit sese. Parce, inquit, et per ea, quæ  
 « tibi dulcissima sunt in vita, miserere nostri: noli  
 « extinguere extinctos. Fer mansuete fortunam:  
 « nos quoque fuimus beati: nosce te esse hominem.  
 « At ille: Quin illum mihi datis, ac vos auribus meis  
 « opplorare desinitis? non abibit. Illi nuntiatur in-  
 « terca venisse istum, et clamore maximo mortem  
 « minari. Quod simul ut audivit, Heus, inquit,  
 « Gorgia, pediseque puerorum, absconde pueros:  
 « defende: fac, ut incolumes ad adolescentiam  
 « perducas! Vix hæc dixerat, quum ecce iste præsto,

<sup>1</sup> Sic veteres edd. melius quam præsto sit.

« Sedes, inquit, audax? Non vox mea tibi vitam  
 « ademit? Exple inimicitias meas, et iracundiam  
 « satura tuo sanguine! Ille cum magno spiritu,  
 « Metuebam, inquit, ne plane victus essem. Nunc  
 « video: in iudicio mecum contendere non vis, ubi  
 « superari turpissimum, et superare pulcherrimum  
 « est: interficere me vis. Occidar equidem, sed  
 « victus non peribo. At <sup>2</sup> iste, In extremo vitæ tem-  
 « pore etiam sententiose loqueris? Neque ei, quem  
 « vides dominari, vis supplicare? Tum mulier, Imo  
 « quidem <sup>3</sup> ille rogat et supplicat. Sed tu, quæso,  
 « commovere; et tu, per deos, inquit, hunc  
 « excomplexare. Dominus est; vicit hic te, vince tu  
 « nunc animum. Cur non desinis, inquit, uxor,  
 « loqui, quæ me digna non sunt? Tace, et quæ cu-  
 « randa sunt, cura. Tu cessas mihi vitam, tibi om-  
 « nem bene vivendi spem mea morte eripere? Iste  
 « mulierem repulit ab se lamentantem: illi, nescio  
 « quid incipienti dicere, quod dignum videlicet il-  
 « lius virtute esset, gladium in latere defixit. » Puto  
 in hoc exemplo datos esse unicuique sermones ad  
 dignitatem accommodatos: quod oportet in hoc ge-  
 nere observare. Sunt item sermocinationes conse-  
 quentes, hoc genus: « Nam quid putamus illos

<sup>1</sup> Cod. Erf. Etiam sedes. Quod habet quiddam ele-  
 gantius. <sup>2</sup> Ille. <sup>3</sup> Iste.

« dicturos, si hoc iudicaveritis? Nonne hac omnes  
 « utentur oratione? » Deinde subjicere sermonem.

LIII. Conformatio est, quum aliqua, quæ non  
 adest, persona confingitur, quasi adsit, aut quum  
 res muta, aut informis, fit eloquens et formata, et  
 ei oratio attribuitur ad dignitatem accommodata,  
 aut actio quædam, hoc pacto: « Quod si nunc hæc  
 « urbs invictissima vocem mittat, non hoc pacto  
 « loquatur: Ego illa plurimis tropæis ornata, trium-  
 « phis ditata certissimis, clarissimis locupletata  
 « victoriis, nunc vestris seditionibus, o cives, vexor?  
 « quam dolis malitiosa Carthago, viribus probata  
 « Numantia, disciplinis erudita Corinthus labefac-  
 « tare non potuit, eam patiemi nunc ab homin-  
 « culis deterrimis proteri atque conculcari? » Item,  
 « Quod si nunc L. ille Brutus reviviscat, et hic ante  
 « pedes vestros adsit, non hac utatur oratione?  
 « <sup>1</sup> Ego reges eieci, vos tyrannos introducitis: ego  
 « libertatem, quæ non erat, peperì, vos partem  
 « servare non vultis: ego capitis mei periculo pa-  
 « triam liberavi, vos liberi sine periculo esse non  
 « curatis! » Hæc conformatio, licet in plures res  
 mutas atque <sup>2</sup> inanimas transferatur, proficit tamen  
 plurimum in amplificationis partibus et commise-  
 ratione.

<sup>1</sup> Ergo. <sup>2</sup> Inanimatas.



LIV. Significatio est, quæ plus in suspicione relinquit, quam positum est in oratione. Ea fit per exuberationem, ambiguum, consequentiam, abscissionem, similitudinem. Per exuberationem, quæ plus dictum est, quam patitur veritas, augenda suspitionis causa, sic: « Illic de tanto patrimonio tam cito testam, qua sibi petat ignem, non reliquit. » Per ambiguum, quum verbum potest in duas pluresve sententias accipi, sed accipitur in eam partem, quam vult is, qui dixit; ut de eo si dicas, qui multas hereditates adierit: « Prospice tu, qui plurimum cernis. » Ambigua quemadmodum vitanda sunt, quæ obscuram reddunt orationem; ita hæc consequenda, quæ conficiunt hujusmodi significationem. Ea reperientur facile, si noverimus et animadverterimus verborum accipites aut multiplices potestates. Per consequentiam significatio fit, quum res, quæ sequuntur aliquam rem, dicuntur, ex quibus tota res relinquitur in suspicione, ut si salsamentarii filio dicas: « Quiesce tu, cujus pater cubito se emungere solebat. » Per abscissionem, si, quum incipimus aliquid dicere, præcidimus, et ex eo, quod jam diximus, satis relinquitur suspitionis, sic: « Qui ista forma et ætate nuper alienæ domni..... nolo plura dicere. » Per similitudinem, quum, aliqua re simili allata, nihil amplius dicimus, sed ex ea

significamus, quid sentiamus, hoc modo: « Noli, Saturnine, nimium populi frequentia fretus esse. « Inulti jacent Gracchi. » Hæc exornatio plurimum festivitatis habet interdum, et dignitatis: sinit enim quiddam, tacito oratore, ipsum auditorem suspirari.

Brevitas est res ipsis tantummodo verbis necessariis expedita, hoc modo: « Lemnum præteriens cepit: inde Thasi præsidium reliquit: post urbem in Bithynia sustulit: inde pulsus in Hellespontum, statim potitur Abydo. » Item, « Modo consul, quondam tribunus, deinde primus erat civitatis. » — « Tum proficiscitur in Asiam, deinde exsul et hostis est dictus, post imperator, postremo consul factus est. » Habet paucis comprehensa brevitatis multarum rerum expeditionem. Quare adhibenda sæpe est, quum aut res non egent longæ orationis, aut tempus non sinit commorari.

LV. Demonstratio est, quum ita res verbis exprimitur, ut geri negotium, et res ante oculos esse videatur. Id fieri poterit, si, quæ ante, et post, et in ipsa re facta erant, comprehendemus, aut si a rebus consequentibus, aut a circumstantibus non recedemus, hoc modo: « Quod simul atque Gracchus prospexit, fluctuare populum, verentem, ne ipse auctoritate senatus commotus a sententia de-

«sisteret, jubet advocari concionem. Iste interea  
 «scelere et malis cogitationibus redundans, evolat  
 «ex templo Jovis, et sudans, oculis ardentibus,  
 «erecto capillo, contorta toga, cum pluribus aliis  
 «ire celerius cœpit. Illi præco faciebat audientiam:  
 «hic subsellium quoddam calce premens, dextra  
 «pedem defringit, et alios hoc idem jubet facere.  
 «Quum Gracchus deos inciperet precari, cursim  
 «isti impetum faciunt; ex aliis aliisque partibus  
 «convolant; atque e populo unus, Fuge, inquit,  
 «Tiberi, fuge. Non vides? respice, inquam. Deinde  
 «vaga multitudo, subito timore perterrita, fugere  
 «cœpit. At iste spumans ex ore scelus, anhelaus  
 «ex intimo pectore crudelitatem, contorquet bra-  
 «chium; et dubitanti Graccho, quid esset, neque  
 «tamen locum, in quo constiterat, relinquenti,  
 «percutit tempus. Ille, nulla voce † delibans insi-  
 «tam virtutem, concidit tacitus. Iste viri fortis-  
 «simi miserando sanguine adpersus, quasi facinus  
 «præclarissimum fecisset, circumspectans, et hi-  
 «laris sceleratam gratulantibus manum porrigens,  
 «in templum Jovis contulit sese.» Hæc exornatio  
 plurimum prodest in amplificanda et commise-  
 randa re, hujusmodi enarrationibus: statuit enim  
 totam rem, et prope ponit ante oculos.

† Delabans, delabens, delibans insita virtute.

LVI. Omnes rationes honestandæ elocutionis  
 studiose collegimus, in quibus, Herenni, si te  
 diligenter exercueris, et gravitatem, et dignitatem,  
 et suavitatem habere in dicendo poteris, ut ora-  
 torie plane loquaris: ne nuda atque inornata in-  
 ventio vulgari sermone efferatur. Nunc identidem  
 nosmet ipsi nobis instemus. Res enim communis  
 agitur, ut frequenter et assidue consequamur  
 artis rationem studio et exercitatione: quod ali-  
 cum molestia tribus de causis maxime faciunt;  
 aut si, cum quibus libenter exerceantur, non ha-  
 bent; aut si sibi diffidunt; aut si nesciunt, quam  
 viam sequi debeant: quæ a nobis absunt omnes  
 difficultates. Nam et simul libenter exerce-  
 mur propter amicitiam, cujus initium cognatio fecit,  
 cetera philosophiæ ratio confirmavit: et nobis non  
 diffidimus, propterea quod et aliquantulum proces-  
 simus; et alia meliora sunt, quæ multo intentius  
 petimus in vita, ut, etiamsi non pervenerimus in  
 dicendo, quo volumus, parva pars vitæ perfectis-  
 simæ desideretur: et viam, quam sequamur, habe-  
 mus, propterea quod in his libris nihil præteritum  
 est rhetoriæ præceptionis. Demonstratum est enim,  
 quomodo res in omnibus generibus causan-  
 rum inveniri † oporteret: dictum est, quo pacto

† Oporteat.



eas disponere <sup>1</sup> conveniret: traditum est, qua ratione esset pronuntiandum: præceptum est, quæ via meminisse possemus: demonstratum est, quibus modis perfecta elocutio compararetur. Quæ si exsequimur, acute et cito reperiemus, distincte et ordinate disponemus, graviter et venuste pronuntiabimus, firme et perpetuo meminerimus, ornate et suaviter eloquemur. Ergo amplius in arte rhetorica nihil est. Hæc omnia adipiscemur, si rationes præceptionis diligentia consequemur <sup>2</sup> exercitationis.

<sup>1</sup> Conveniat. <sup>2</sup> Et exercitatione.

## DE INVENTIONE RHETORICA

### LIBRI DUO\*.

\* De his quidem libris suis ita loquitur Tullius, ut eos sibi puero aut adolescentulo ex commentariolis suis *excidisse* dicat\*. Elucet tamen in iis, quos habemus, maturior, quam ea fert ætas, et artis tradendæ peritia, et scribendi facultas et copia; quivis ut legendo sentiat auctorem esse eum, qui possit non tantum de arte loqui, sed etiam ex arte dicere.

\* « Quæ pueris aut adolescentulis nobis ex commentariolis nostris *inchoata ac rudia exciderunt.* » De Orat. 1, 2.